



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

205. An Carthusiani in articulo mortis teneantur edere carnes? Et an peccet Medicus, aut alius minister, qui Carthusiano ægrotanti, & inscio præberet cibos aliquos ex carnibus? Ex p. 5. t. 3. r. 136.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

quod sup.
hac quæst. &
libet, lege
etiam alias
Ref. eius an-
not.

communem vitam, victum, atque vestitum. Et tandem verba faciens de tribus votis in prædictis, compertum esse dicit, quod ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, non possunt per Superiores relaxari, cuius & rationem reddens, inquit, *Etenim si illa, quæ bases sunt, & fundamenta totius regularis discipline, exactè non fuerint conservata, & custodita, totum statim corrumpat adificium necesse est.* Ex quibus Concilij verbis; sic colligo argumentum: Omnia, quæ non sunt de substantia regularis vitæ, de mente Concilij, ex causa per Superiores possunt relaxari, atque in eis dispensari: sed observantiæ, quæ sunt secundi generis (de quibus supra diximus) utrumque essentielles, & obligatoriæ sunt, suosque professores ad peccatum obligent, non tamen sunt de essentia, & substantia regularis vitæ, siquidem sine ipsis aliæ Religiones reperiri possunt: Ergo observantiæ prædictæ ex causa, & in casibus particularibus, Superiorum subsunt dispensationi.

2. Sed his non obstantibus negativæ sententiæ ego adhareo, quia in prædictis votis, & materia ipsa, & actus votentis sunt omnino extra Superioris dominium, cum iuxta constitutiones à Pontifice approbatas dicta vota sint annexa ei statuto Religioso. Ergo regulantur iuxta tria substantialia vota, & accessorium sequitur naturam principalis. Adde quod distinguenda sunt vota peculiariter uniuscuiusque Religionis à regulis, & præceptis obligantibus sub mortali: est enim inter hæc duo maxima differentia, quamvis ambo ex regula, & ex voto oriri videantur: nam & vota peculiariter secundum regulam fiunt, & præcepta regulæ aliquo modo includunt votum obedientiæ; est nihilominus differentia, quod licet regula ordinet, & votum fiat, tamen immediatè non oritur obligatio ex regula, sed ex voto, ut in Religione Minorum regula ordinat fieri quartum votum abstinendi à carnibus, factum autem voto comedere carnes est sacrilegium immediatè oppositum voto: è contrariò verò, si sola regula immediatè obligat ad eandem abstinenciam v. g. etiam si obliget sub mortali (ut quidam de Carthusianis dicunt) non est obligatio voti, neque excedit obligationem præcepti humani Ecclesiastici: quia votum obedientiæ quod illa lex supponit, obligat immediatè ad servandam vnamquamque regulam, ut supra dixi; sed vnaquæque regula obligat iuxta sensum & virtutem suam.

Sup. hoc magis late in Ref. seq.

3. Dicendum est igitur prædicta vota in titulo Resolutionis posita non posse per Generalem dispensari, irritari, aut commutari: & ita nostram sententiam tenet Bordonus in *Consiliis Regularium resol. 14. num. 24. Portel verb. Voti irritatio, n. 68. Tamburinus de iure Abbatum, tom. 3. disp. 4. q. 8. c. 2. dub. 32. num. 7. Palaus tom. 3. tract. 1. §. disp. 2. punct. 8. num. 5. Layman lib. 4. tract. 4. cap. 7. n. 6. assert. 5. in fine;* quibus omnibus adde sapientissimum Suarez de *Relig. tom. 4. lib. 2. c. 12. à num. 28. vbi tandem n. 19. sic ait, Sequitur præterea ex dicta resolutione, idem dicendum esse de quocumque statu Religioso habente votum aliquod ex peculiari ratione talis status, præter tria vota communia, nam tale votum indispensabile est per Prælatos Religionis, propter rationes factas, quæ generaliter procedunt ex natura status religiosi, & conditione talis voti, & ideo punctum hoc non referuimus in peculiarem tractatum de Societate, quia de se commune est. Ita ego censco de Monialibus Sanctæ Clare, quoad votum clausuræ, non enim possunt in illo dispensare prælati minores, quia non possunt votum illud, vel obligationem eius auferre. Idem est de voto non comedendi carnes, quoad Religiosi Minimi emittunt: nam, per eorum Superiores tolli, seu dispensari non potest ob eandem rationes. Nec refert*

quod Prælati possint aliquando dare licentiam egrediendi, aut comedendi, & c. nam supposito voto, hoc tantum fieri poterit vel interpretando casum esse talerem, in quo votum non obliget, quod non est dispensare, ut in tract. de voto lib. 6. cap. 5. dixi, vel liberando materiam voti, quia nimirum in ipso voto emittendo, vel expresse, vel secundum regulam includitur conditio non faciendi hoc, vel illud, nisi approbante, vel ordinante. Si perire: tunc enim dum ipse ordinat, vel dat facultatem, non dispensat, sed facit ut cesset materia voti. Hac autem integra manente, indispensable esse existimo talia vota per inferiores Prælatos, etiam per Episcopos, quia ex vi status, cui sunt annexa, sunt alterius Ordinis, & habent quasi peculiarem modum conservationis, ut explicatum est. Hucusque Suarez.

RESOL. CCIV.

An Carthusiani, secluso scandalo, extra morbum possint comedere carnes sine peccato mortali: Ex p. 3. u. 2. Resolut. 39.

§. 1. **N**egativè respondeo cum Navarro *conf. §. 1. de Regularibus, n. 6. Vasquez in p. 2. tom. 1. disp. 162. c. 4. n. 16. Salas de leg. disp. 11. sect. 2. n. 7. & aliis, quia licet non teneantur abstinere à carnibus ratione voti, tenentur ad hoc ratione statuti, & consuetudinis sub mortali obligantibus.*

2. Non reticeam tamen aliquos docere contrariam sententiam, quam probabilem putare videtur Emanuel Sa *ver. Religio, n. 58. vbi sic asserit: Carthusianos teneri vesci carnes, si aliter non possint morbo liberari, quidam autem, alij negant. Ego dixim teneri si non possint aliter vivere. Sunt & qui affirmant non peccare illos mortaliter, si carnes vescantur extra morbum, si absit scandalum, non enim ex voto tenentur abstinere, sed ex consuetudine. Ita ille. Sed tu tene primam sententiam.*

RESOL. CCV.

An Carthusiani in articulo mortis teneantur edere carnes? Et an peccet Medicus, aut alius minister, qui Carthusiano agrotanti, & infirmitate præbet cibum aliquem ex carnibus? Ex p. 5. u. 3. Ref. 136.

§. 1. **A**liqui negativè respondent, afferentes in extrema necessitate ab intrinseco non teneri Carthusianos edere carnes, licet in secreto & sine scandalo vesci possent. Probatur, quia ille in tali casu naturaliter moritur ex morbo, cuius ipse non est causa, nec ipse censetur se occidere, sed tantum non prolongare vitam comedendo carnes: non tenetur autem quis prolongare vitam omnibus modis possibilibus, ergo. Secundò, quia non tantum pro virtute, sed etiam pro virtutis augmento potest quis exponere periculo vitam corporis, & augetur Carthusiano virtus abstinentiæ abstinendo in tali casu, & crescit bonum totius Religionis, & si in tali necessitate id liceret, sequeretur dissolutio Religionis & traheretur idem ad minores necessitates, & ita docet ex Victoria, Ledesma, & aliis, Thomas Sanchez in *opusc. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 34. n. 6. qui tamen n. 7. addit posse illos in tali necessitate edere, si velint carnes, quia non habent votum non edendi, nec statutum obligans ad penam: at poterant puniri pena statuti. Sic Sanchez, licet Valq. disp. 162. in par. 2. quem sequitur Iacobus Granadus etiam in p. 2. cent. 7. tr. 3. p. 1. disp. 8. sect. 5. n. 7. contendant legè seu consuetudinem*

tudinem Carthusianorum eos simpliciter obligare, ita ut non possint etiam in articulo mortis vel carnibus, quia scilicet spectat ad magnum & publicum illius Religionis spirituale bonum, ut cum tanto rigore illa observantia viget; potest autem lex humana ob commune bonum, quando opus est, obligare etiam cum dispendio vite. Faretur autem non peccare Medicum, aut alium ministrum, qui Carthusiano aegrotanti & infirmo praeberet cibos aliquos ex carnibus. Sed sententia Sanchez, videlicet posse in tali casu Carthusianos edere carnes, sed non teneri, docet etiam Lorca in p. 2. disp. 2. 3. de legib. cum Montefino disp. 2. 3. q. 10. & alii, quibus novissimè adde Duallium in p. 2. D. Tho. sr. de leg. q. 5. art. 4. vide etiam circa praesentem quaestionem Baldellum in Theol. mor. l. 5. disp. 26. n. 15. Azorip. 1. lib. 5. c. 6. q. 7. Salas de legibus disp. 1. 1. tit. 2. & alios penes ipsos.

RESOL. CCVI.

Quidam Regularis propter astum ad capiendum somnū dormiebat sine tunica lancea, qua erat habitus sua Religionis, quaesivit, an peccaverit mortaliter? Et quis est dicendum, si Fratres Minores, & observantes viderentur camisis lineis? Et an Religiosus, qui spoliatur habitu ad liberius fornicandum, peccat mortaliter non solum contra temperantiam, sed etiam se exuendo habitu, quamvis Apostata non sit? Ex parte 5. tractat. 14. & Misc. 2. Resolutione 72.

§ 1. **S**VPRA dictum Regularem non incurrisse in excommunicationem latam in cap. vt periculis, ne Cleric. vel Mon. in 6. ego ipse docui in 3. part. tract. 2. resol. 115. Difficultas est an peccaverit mortaliter? Et affirmatiuam sententiam docet Graffius tom. 1. lib. 3. cap. 5. n. 75. vbi sic ait. Qui in cella dimittit habitum suum, vel cum iacet in lecto gestat habitum sine patientiam, licet poena excommunicationis non ligetur, peccat tamen mortaliter. ita ille, qui citat Franc. in c. ne Cler. vel Mon. n. 5. Confirmatur haec opinio ex c. vidua 20 q. 2. vbi ex Concilio Toletano sic habetur. Tunc accepta à Sacerdote, vel Ministro apta Religionis professioni veste, seu in lectulo quiescens, siue in quocumque loco exiens, constanter ea vtatur, & idem ex Concilio Carthaginensi IV. Can. 11. habetur in cap. sanctimonialis, dist. 23.

2. Sed his non obstantibus de hoc casu interrogatus negatiuè respondi, certum enim existimo ex vi iuris communis non esse in tali casu obligationem sub peccato mortali, quia neque in citatis decretis pro contraria sententia adsunt verba obligantia ad peccatum mortale, nam in cap. vidua solum dicitur. constanter ea vtatur. in alio vero qualibus semper usura est, quae non sunt verba rigorosè praecipua, vt per se constat, nec communi vsu & consuetudine ita sunt interpretata. Igitur debitum, quod habet Regularis vtendi sepe suo habitu, est honestatis, non necessitatis, solum ergo ex aliqua circumspecta extrinseca, vel ex praecipuo regulae & consuetudinis ad hoc obligantis potest in tali casu adesse peccatum mortale, aliàs non. Et haec omnia docet Suarez de Relig. tom. 4. lib. 1. cap. 5. n. 18 Sanctarellus de Apostas. cap. 1. dub. vn. n. 5. & post haec scripta vidi amicissimum Lezanam in suis eruditiss. Reg. c. 13. n. 7 quibus adde Fabrū de restit. in 4. sem. dist. 15. q. 2. disp. 45. c. 4. num. 88. vbi tractat hanc quaestionem quoad Fratres Minores Conuentuales & Observantes, & firmat, dormientes sine habitu non peccare mortaliter, & idem etiam docet, si dicti Fratres vtentur camisis lineis, putat enim in tali casu non peccare.

3. Notandum est hic obiter docuisse Nauarrum in consil. de Apostas. Religiosum qui spoliatur habitu ad liberius fornicandum, peccare mortaliter, non solum contra temperantiam, sed etiam se exuendo habitu, quamvis apostata non sit; sed fallitur bonus senex, vt rectè obseruat Suarez vbi supra, & patet ex dictis. Vnde in praedicto casu non erit, per se loquendo, duplex malitia mortalis, vna fornicationis, altera, vt aiebat Nauarrus, spoliationis habitus, nisi fortasse ex speciali aliqua regula talis prohibitio cum eo rigore facta sit.

Sup. hoc lege doctrinam Resolutionis not. praeterea.

RESOL. CCVII.

Aliqui casus, in quibus Religiosi dimittentes habitum sua Religionis non incidunt in censuras, c. vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi, in 6. Et an Religiosus iniuste grauaturs à Praelato fugiens ad Praelatum Superiorem possit dimittere habitum, donec tuto accedat ad Praelatum Superiorem? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 115.

§ 1. **N**ON est Apostata, nec incurrit in dictam excommunicationem Religiosus, qui habitum non defert in cubiculo suo, vel in loco alio secreto, vt melius studeat, quiescat, dormiat &c. nec etiam, qui ex leuitate quadam habitum dimittit, vt melius currat, saltet, ludat, &c. Imò ego puro neque Religiosum incurrit in dictam excommunicationem, si habitum dimittat, vt eat ad lupanar ad fornicandum, vel vt secretò furetur, statim habitum iterum sumpturus, etsi habitum alium ad se fecerit occultandum eo breui spatio assumat. Et haec omnia docent & probant Doctores, quos citat, & sequitur Sanch. in sum. tom. 2. l. 6. c. 8. n. 57. quibus ego addo Antonium Sanctarellum tr. 2. de Apostas. c. 1. n. 5. 6. & 7. quidquid asserat Portel. in dnb. Reg. ver. Habitus n. 4. Hieronym. Rodriq. in cōpen. qq. Reg. ref. 71. n. 6. Suar. in 5. p. 10. 3. disp. 23. sect. 4. n. 51. Bañez in 2. 2. q. 12. art. 2. concl. 2. & alij afferentes Religiosum ob turpem causam deponentem habitum in excommunicationem incurrit.

Sup. casibus contentis in hac Ref. lege in praeterea Ref. & doctrinam duarum Ref. sequentium.

2. Non desinam tamen hic adnotare pulchrum casum, qui saepius potest occurrere, & ponit Laurentius Portel in addit. ad dnb. Reg. ver. Habitus n. 3. vbi sic ait. Religiosus iniuste grauaturs notabiliter à Praelato, maius adhuc timens grauamen, nec habens aliud remedium, fugit ad Praelatum superiorem longè distantem, ita vt in ista fuga nullo modo peccet, nec venialiter vt suppono (quod fieri posse multi dicunt) in hac tamen fuga, & longo itinere, certò moraliter sciet, se fore detegendum, & comprehendendum ab inferiori iniuste grauante, si poterit habitum Religionis propter custodes in viis adhibitos. In quo casu puro posse praedictum cum supra dictis circumstantiis habitum dimittere, donec tuto accedat ad praelatum ad quem appellat; quia portare habitum Ordinis est praecipuum humanum; at praecipuum humanum non obligat cum tanto periculo fame, carceris, & iniusti grauaminis sperati certò moraliter, ergo, &c. Ita Portel. vbi supra, & ego.

RESOL. CCVIII.

An in dimissione habitus propriae Religionis detur paruitas materia? Ex p. 5. tr. 5. Ref. 61.

§ 1. **S**VPpono ex cap. 2. ne Clerici vel Monachi in 6. Sexcommunicari Religiosos professos Religionis suae habitum temerè dimittentes, & ad quaestionem respondet affirmatiuè Emanuel Saer. excommunicatio n. 9. Azor. 10. 1. lib. 12. c. 13. q. 5. cas. 16. Toletus

Sup. hoc in R. seq. 6. Sed quares. sed lege eam per lib. 4.